HIERONYMUS
Admont (?), 1. Hälfte 12. Jh. Seite 70r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26077
Copyright: Admont, Benediktinerstift



magistri & iudeorum pharisei quod nullus eos intellegat.
non recordantes ad dominum dici. Tenebre non obscurabuntur
a te. & nox sicut dies illuminabitur. & sicut tenebre eius ita &
lux eius. Hoc errore decepti adam & eua audientes
sonitum pedum deambulantis in paradiso dei. abscon
derunt se sub arbore in qua erat scientia boni & mali.
Cain quoque dicens. si eicis me hodie a facie tua abscondar.
Simili stulticia dominum arbitratus est ignorare. Et per amos
de impiis & peccatoribus dicitur. si absconderint se ab ocu
lis meis in profundum maris. ibi mandabo draconi &
mordebit eos. Vnde quamuis aliquis sapiens sit & fer
uentioris ingenii si non habuerit dei sapientiam atque doc
trinam dicamus de eo. Nisi dominus edificauerit domum
inuanum laborauerunt qui edificant eam. Nisi dominus custo
dierit ciuitatem inuanum uigilauerint qui custodi
unt eam. Cui nos facimus similem. nisi dominus adiuuerit scien
tiam inuanum laborat qui se putat esse sapientem nisi
dominus omni custodia seruauerit cor nostrum inuanum
uigilat qui putat illud sua diligentia posse
seruari. Peruersa est inquit hec uestra cogitatio. ut
factorem petetis nescire quod fecit. & creato
rem ignorare creaturam suam. Quasi silutum
& opus dicat figulo & factori suo non me
fecisti uel non bene fecisti. nec intellegis
facturam tuam. Hoc testimonium aliis uerbis apostolus utitur
ad romanos. ubi de dei profunda scientia disputat &
hominum uult calumniam confutare. O homo tu quis
es qui respondeas deo. nunquid dicit figmentum fictori
suo. quare me fecisti. an non habet potestatem figulus